



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

5 Vtrùm promiſſio vel donatio interna obliget nos homini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

Pacta, quae contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores sunt, nullam vim habere, indubitati iuris est. Idem colligitur ex L. Stipulatio hoc modo. 61. 7. de verb. oblig. *Contra leges* ea dicuntur fieri, in quibus promittitur aliquid quod leges prohibent, vt homicidium, furtum. *Contra bonos mores* fiunt, per quae datur occasio iniquè agendi, vt in exemplis in. 23. vel impediuntur illi mores, quos expedit esse in Rep. bene instituta. vide Siluest. v. Pactum, n. 8. & 11. & Molinam disp. 27 1.

25 *Iuramento confirmata sunt valida.*
Aduerte tamen, etsi promissiones & pacta quae dicuntur esse contra bonos mores, sunt per se irrita, tamen si accesserit iuramentum, esse seruanda: vt docet Siluest. v. Pactum, n. 11. Omne enim iuramentum seruandum est, nisi sit de re illicita, vel contra leges, vel alia ratione contra bonum publicum, vt supra cap. 17. dub. 7. n. 54. ostensum est.

Nec obstat, quod haec pacta dicantur esse contra bonos mores, iuramentum autem contra bonos mores praestitum non sit obligatorium, vt habetur c. Non est obligat. 58. de regulis Iuris, in 6. quia vt Siluester ait, non sunt *contra bonos mores naturales*, (de quibus intelligenda est ista regula) sed *ciuiles*; id est, non sunt contra virtutem, ita vt res promissa sit peccatum, sed possunt incommodare moribus, quos expedit esse in Republica.

Hoc modo pactum, quod filia, dum nuptui traditur, cum patre init, vt dote contenta, nullum ad bona paterna regressum habeat, est contra bonos mores, & irritum iure ciuili; tamen iuramento confirmatur, vt constat cap. Quamuis pactum, de pactis, in 6. & promissio vsurarum est contra bonos mores; quia occasione praebet exigendi vsuras; tamen impleri debet, si iuramentum accedat.

27 *Contra bonos mores.*
Debitores. de iureiurando. Potest tamen in huiusmodi pactis peti dispensatio iuramenti ab Episcopo, si in illis aliqua iniuria intercessit, & tunc promissionem non seruari. vt supra cap. 17. dubit. 7. dictum est.

DVBITATIO V.

Vtrum promissio vel donatio interna obliget nos homini.

28 *Non obligat nos homini.*
Respondeo & Dico Primò, Etsi promissio vel donatio pure interna, facta Deo, obliget nos Deo cordium inspector; non tamen facta homini, obligat homini. est communis sententia DD.

29 Sed difficultas est, Vtrum id proueniat ex solo iure positiuo, an ex iure naturali. Quidam putant id prouenire ex solo iure positiuo. consistendo enim intra limites Iuris naturalis, talem actum inducere veram obligationem. Ita Ledesma in 4. p. 2. q. 18. a. 1. dub. 13. & inclinatur Sotus lib. 7. q. 1. art. 2. Molina disp. 266. Probari potest Primò, Quia promissio interna addit aliquid supra nudum propositum, ergo magis obligat. Secundò, Actu interno, quo quis non vult amplius rem habere in bonis suis, potest amitti possessio & dominium: ergo etiam causari obligatio erga alterum. Tertio, Tota vis obligandi promissionis & donationis est à voluntate interna: ergo haec sufficiens est ad obligandum. confirmatur, quia expressio exterior non est necessaria, nisi vt possit cognosci & acceptari ab altero: atqui haec acceptatio iure naturae non est necessaria. Hęc sententia est probabilis.

Est probabilis.

Dico Secundò, Probabilis tamen videtur promissionem donationemque internam iure naturae esse insufficientem & inuolidam ad obligandum. colligitur ex D. Thoma q. 88. art. 1. vbi dicit, promissionem vnus hominis non posse alteri fieri nisi per signa externa, Deo autem posse fieri per internam cogitationem. Idem tenent passim Thomistae. ratio est; quia promissio & donatio sunt signa quaedam practica, efficientia id ipsum quod significant. qui enim dicit, Promitto tibi, Do tibi, non solum significat internam cogitationem & affectum dandi, sed etiam ipsum actum donationis & promissionis, qui in hisce verbis sub tali intentione prolatis, formaliter consistit; & effectum eius, scilicet obligationem, quae nascitur in promittente, & ius, quod nascitur in promissario. Quare cum actus interni non sint idonea signa ad alteri significandum, non sunt etiam instrumenta ad se alteri obligandum: nam haec aptitudo fundatur in significatione ad alterum. Si tamen alter possit cognoscere internas cogitationes, sicut possunt Angeli, quando ad eos diriguntur; tunc per actum internum optimè possit donatio & promissio fieri. Accedit, quod talis promissio non sit acceptata; quod tamen necessarium est ad obligationem, vt statim dicetur. sub hac enim tacita conditione fieri censetur.

30 *Promissio interna iure naturae videtur inuolida ad obligandum se homini.*

31

32

Ad argumenta.

Ad primum Respondeo, Interna promissio addit supra propositum aliquam inchoationem promissionis, quae tamen adhuc est insufficientis ad causandam obligationem.

Ad secundum, Etsi possessio & dominium possint amitti actu interno, vt cum res habetur pro derelicto; non tamen transferri in alterum: ad hoc enim plura requiruntur. facilius enim est aliquid desinere, quam incipere esse, aut in altero produci. vnde nec ius alteri dari per internam promissionem potest.

Ad tertium, Etsi tota vis obligandi sit à voluntate, tamen voluntas non potest eam immediatè in homine causare absque actu externo, tamquam instrumento; alioquin haec ipso quo interius vellem, alter haberet ius in omnia bona mea, nec possem ea alteri dare vel retinere. hinc fit, vt etiam iurisdictioni sine actu externo dari nequeat, vt communiter Theologi docent. Ad confirmationem. Non tantum idèd requiruntur externa signa, vt alteri significetur voluntas donandi, sed etiam vt ipsa donatio & promissio per illa fiat, vt dictum est.

33

DVBITATIO VI.

Vtrum promissio vel donatio externa obliget ante acceptationem, & quomodo acceptanda dum sit absenti.

Respondeo & Dico Primò, Promissionem ante acceptationem ordinariè nullam parere obligationem naturalem aut ciuilem. est communis sententia Doctorum, teste Gomezio to. 2. c. 9. n. 1. & seqq. & patet L. 1. 7. de pollicitationibus. Idem dicendum de donatione, vt ex communi sententia Doctorum docet idem Gomez. tom. 2. cap. 4. n. 3. & colligitur apertè ex L. Absenti. 10. cap. 4. n. 3. & colligitur apertè ex L. Absenti. 10. cap. 4. n. 3.

34